

DE RELATIONE OBIECTI FORMALIS AD OBIECTUM
PROPRIUM INTELLECTUS NOSTRI SECUNDUM
DOCTRINAM S. THOMAE AQUINATIS

RECENSIONI RESPONSUM

In „*Bulletin Thomiste*“ ultimo tempore (1957—1959, t. X, n. 702 et 703) nova recensio mei operis: *De obiecto formalis intellectus nostri* (*Analecta Gregoriana*, ed. altera, Romae 1955) et articuli: *De valore obiecti formalis in epistemologia thomistica* („*Gregorianum*“, 38 (1957) 630—657) apparuit. Et quidem R. P. M. — D. Philippe OP assignando initio recensionis istius plenam concordiam cum recensione a-R do P. Geiger OP („*Bulletin Thomiste*“, 4 (1935), n. 587) post primam editionem: *De obiecto formalis... scripta*¹, animadvertisit: *Il n'est pas douteux que l'A. ne cherche à redécouvrir les distinctions originales de S. Thomas; cependant nous nous demandons s'il ne s'agit pas le plus souvent d'une querelle de mots dans les développements que l'A. oppose aux thomistes modernes*².

Quae animadversio mira videtur; etenim in hac materia R-di P. Geiger ipsissima verba: *Il faut louer sans réserve... le soin apporté à ne constituer le vocabulaire qu'à l'aide des œuvres de S. Thomas lui-même. On sait que ne pas la simple manie d'érudit, mais un sens très exact des différences de points de vue, souvent notables qui à plusieurs siècles de distance séparent S. Thomas de ses commentateurs*³.

Certe et R. P. Descoqs in sua quasi recensione eiusdem operis in *Praelectionibus theologiae naturalis* (t. II, Paris 1935) prolata, notavit: „Nec valet contra hanc divisionem (in obiectum formale commune et proprium intellectus nostri) crisis quam instituit St. Adamczyk, in sua thesi *De obiecto formalis intellectus nostri secundum doctrinam S. Thomae Aq.*, Romae, 1933, quippe quae crisis sit mera lis verborum“⁴.

Scripta citata recensione Descoqs nullo modo potuit ante oculos habere verba R-di P. Geiger ullamque mentionem de eis facit. Unde facilius conceptionem hodiernorum thomistarum de duplicitate obiecto formalis intellectus nostri repetere potuit: „Sed

¹ „*Bulletin Thomiste*“, 10 (1957—1959), n. 702 et 703, p. 310.

² *Ibidem*, p. 311.

³ „*Bulletin Thomiste*“, 4 (1935) 383.

⁴ Descoqs, *Praelectiones theologiae naturalis*, Paris 1935, t. II, p. 144.

satis erit animadvertere illud quod praedicti scriptores vocant obiectum formale genericum, vel commune id ipsumesse quod Adamczyk vocat obiectum formale proprium id esse quod alter vocat simpliciter obiectum proprium. Huiusmodi quaestio denominationis minoris est momenti in casu, dummodo termini ab unoquoque stricte definiantur, nec ullam contradictionem secum afferat terminologia electa⁵.

Attamen si termini stricte definiantur, tunc obiectum — iuxta S. Thomam — proprium annumerandum est non obiecto formali specificativo — ut vult Descoqs⁶ — sed obiecto materiali i. e. eidem, quod ab aliqua potentia primo et per se „proprie“ attingitur. Quod quidem multiplicitatem in se continet, unde, sine contradictione, unicum principium specificativum potentiae esse nequit. Inde pro obiecto formali seu pro „una ratione formalis“⁷ relinquitur aliquid „unum commune“, quod quidem relate ad intellectum nostrum debet esse „ens commune“⁸, id est „id, sub quo comprehenduntur omnia ab intellectu cognita, sicut sub colore comprehenduntur omnes colores qui sunt per se „visibles“⁹. Et Geiger attendendo vero ea, quae in meo opero citato (p. 26—33) exposita erant, assentit: *Comme l'auteur l'établit fort bien, l'objet formel (quod) est unique puisqu'il spécifie la puissance*¹⁰.

Talis enuntiatio Cl-mi Auctoris cogere videtur R. Patrem Philippe ad ponendum in sua recensione expressionem: *Voir là deux objets formels, c'est méconnaître ce qu'est l'être, c'est le considérer comme extérieur à la quiddité*¹¹.

Attamen R. P. Philippe remanendo sub influxu Joannis

⁵ Ibidem, p. 144. — Simili modo R.D.C. Kłósak recencendo opus: *De obiecto formali intellectus nostri, sec. doctrinam S. Thome Aqu. in „Atheum Kaplańskie“*, 4 (1949) 383 s. asserit mentem S. Thome optime protrulisse Josephum Gredt OSB dicendo: 1) „obiectum formale commune intellectus humani est ens in quantum ens et 2) obiectum formale intellectus proprium pro hoc statu unionis animae cum corpore est quidditas rei materialis, per phantasiam repraesentata non prout est singularis, sed prout est universalis (Elem. phil. arist.-thom., v. I. p. 432—441). Attamen R. Auctor quasi obliviousit me analogica verba Gredti in suo opere citasse (p. 43) et una cum similibus sententiis crisi subicisse (p. 45—51). Postea autem positionem R-di Auctoris critica ratione per longum et latum in articulo: „De valore obiecti formalis in epistemologia thomistica“ reici.

⁶ „Obiectum formale... est duplex: a) Genericum seu commune... b) Specificativum seu proprium, quod nempe definit naturam propriam talis facultatis, et est id quod primo et per se ab aliqua potentia attingitur“ (Descoqs, op. cit. t. II, p. 142 s.).

⁷ I, q. 1, a. 3, ad 2; Cf. *De obiecto formali...*, p. 46.

⁸ I, q. 55, a. 1, c; I-II, q. 10, a. 1, ad 3.

⁹ II C.G., c. 83, 14.

¹⁰ „Bulletin Thomiste“, 4 (1935) 383.

¹¹ „Bulletin Thomiste“, 10 (1957—1959) 311.

a S. Thoma ens nominat solum obiectum adaequatum, terminativum nostri intellectus; pro obiecto autem proprio, proportionato, ergo specificativo eiusdem intellectus quidditas rerum materialium remanere debeat: *L'être ne spécifie immédiatement et proprement notre intelligence que par la quiddité des choses sensibles... Il est donc légitime d'affirmer à la fois que l'être est objet terminatif et que la quiddité est l'objet propre, proportionné. Ainsi s'exprime la nature unique de l'intelligence humaine, faculté tout ordonnée à l'être mais qui ne l'atteint immédiatement et premièrement que dans et par la quiddité des choses sensibles. L'intelligence ne peut pas atteindre l'être primo et per se sans saisir la quiddité des choses sensibles*¹².

Attamen in hac suppositione pro isto unico obiecto formali suscipiendum sit non ens qua tale, sed ens in hac vel altera quidditate inclusum et ad eandem quidditatem restrictum. Unde — sequendo ulterius Joannem a S. Thoma — debeamus cum eo asserere „unum formale obiectum proportionatum“ intellectus nostri pro hoc statu esse „quidditatem sensibilem“¹³, pro statu autem separationis quidditatem spiritualem ipsius animae¹⁴.

Dolendum est Cl. Patrem non subicere crisi argumenta, quae a S. Thoma contra eandem positionem sumpsi (op. cit., p. 54—62), sed sententiam Joannis a S. Thoma sine ullo fundamento Doctori Angelico accommodari. Praeterea sententiam hanc Aquinato applicari non posse obliviscitur. Si enim quidditas rerum sensibilium constitueret obiectum proprium et proportionatum ita quod non ens qua tale, sed ens ad quidditatem hanc restrictum immediatum et proprium principium specificativum nostri intellectus in hoc statu constitueret, tunc etiam pro obiecto specificativo intellectus nostri in statu separationis eadem quidditas rerum materialium remanere deberet; mutato enim obiecto specificativo ipsa facultas intellectiva essentialiter mutaretur; essentialis autem mutatio intellectus esset simul signum mutationis in natura ipsius animae separatae, quod evidenter tam rationi, quam fidei

¹² Ibidem. — Simili licet alio adhuc modo rem concipit R.P. Krajiec OP. Etenim iuxta eum in obiecto formali distinguendus est duplex aspectus: a) aspectus continentiae et b) aspectus modus concipiendi, seu obiectum formale adaequatum et proprium; primum constitutus ens qua tale, alterum id, in quo intellectus concipiatur ens, scil. quidditas rerum materialium (Cf. *Realizm ludzkiego poznania*, Poznań 1959, p. 622). — Attamen aspectus continentiae potest adipisci nomen obiecti, aspectus modulus concipiendi nihil de obiecto in se habet, sed potius ad subiectum refertur. Unde mea distinctio inter obiectum formale qua tale et potentiam cognoscitivam ut facultatem animae non potest coincidi — ut vellet R. Pater (op. cit., p. 624, nota 3) — cum obiecto formali adaequato et proprio.

¹³ Joannes a S. Thoma, *Cursus phil.*, thom. III, pars II, p. 10, a. 3; Parisiis 1883, p. 461, 1.

¹⁴ Ibidem, p. 462, 1; Cf. *De obiecto formali...* p. 53.

adversatur¹⁵. Quia tamen in statu separationis quidditas rerum materialium proprium principium specificativum nostri intellectus esse nequit, tunc etiam ad intellectum in statu coniunctionis cum corpore applicari non potest. Unde ens ad quidditatem rerum materialium restrictum pro obiecto formalis intellectus nostri a S. Thoma sumi nequit.

Ego magis, quando ad modum cognitionis entis utpote obiecti formalis attenditur. Verba enim S. Thomae ex prooemio De Ente et Essentia: „ens... et essentia sunt quae primo in intellectu concipiuntur“ nequeunt interpretari in significatione data a R-do P. Philippe: *L'être est manifesté tout d'abord à notre intelligence dans la quiddité des choses sensibles*¹⁶.

Licet enim ab intellectu nostro „ens et essentia (rerum materialium) primo... concipiuntur“, tamen in hac cognitione magna adest diversitas. Essentia enim rerum materialium concipitur „proprie“ seu mediante determinatione per speciem vicariam, ergo terminative, cum plena conscientia. Ens autem ut obiectum formale „quod“ ab intellectu nostro cognoscitur „naturaliter“ i. e. immediate seu directe vi naturae ipsius potentiae intellectivae, in via ad cognitionem obiecti proprii, ergo inchoative, cum semi-conscientia. Sic igitur fit possibile, ut non solum quidditas rerum materialium, sed etiam ens „primo“ ab intellectu nostro concipiatur.

Unde et ipse Descoqs, licet sententiae duplicitis obiecti formalis intellectus nostri adhaeret, referendo dicta per me de ente ut obiecto formali intellectus nostri addit: „Rursus autem merito instat idem Adamczyk aliis (Aquinatis) textibus, ex quibus manifeste patet, obiectum formale...¹⁷ esse ens qua tale... ens „cuius intellectus noster per se et naturaliter cognitionem habet“ (II C. Gentiles, c. 83, 14); unde quod „primo ab intellectu concipiatur“ (De Ver., q. 1, a. 1, c; De Ente et Essentia, prooemium; I Metaph., lect. 2, n. 46; IV Metaph., lect. 6, n. 605; I P., q. v. a. 2 c; I-II, q. XCIV, a. 2 c; I Post Analyt., 1. 15, 7); concipiatur tamen „primo“, non ut terminus actionis, sed ut ratio eiusdem. Ideoque in hoc ente qua tali, obiecto formali intellectus nostri, fundatur omnis „scientia et cognitio rerum“. Citando haec verba Auctor

¹⁵ *De obiecto formalis...*, p. 61; *De valore obiecti formalis...*, „Greg.“, 1957, p. 637.

¹⁶ „Bulletin Thomiste“, 10 (1957—1959) 311.

¹⁷ Descoqs immerito addit „commune“, quia ego hos textus Aquinatis applicavi ad unicum obiectum formale et non ad obiectum formale commune. Et Cl. Auctor postea obliviscitur de duplice obiecto formalis intellectus nostri et citat verba mei operis referendo ea ad unum obiectum formale.

ex meo opere: *De obiecto formalis intellectus nostri...*, p. 81 addit: „Optime dicta et in posterum retinenda“¹⁸.

R. P. Philippe scribendo postea suam recensionem deberet potius in hoc (quod fusius adhuc tractavi in citato articulo: *De valore obiecti formalis...*) insistere, et non attentionem nostram avertere ad problema in meo opere secundarium, nempe ad transpositionem obiecti proprii, communis et per accidens de ordine sensationis ad ordinem intellectonis, eo magis quod hic sit sermo non de transpositione univoca, sed analogica tantum; quod quidem sat clare innuitur, quando fit sermo de extensione nominis „obiectum commune“ ad ordinem intellectualis, „in qua solum relatio eiusdem ad respectivam potentiam attenditur“¹⁹. Unde simpliciter negare „id quod per certum reflexionem cognoscitur“ non posse obiectum per accidens et materiam sensibilem obiectum secundarium constituere, mirabile videtur post dicta in primo capite mei operis, de quibus R. P. Geiger: *Tout le premier chapitre consacré aux notions d'objet en général et à ses différentes espèces met au point la terminologie de S. Thomas et fournit une base solide à la discussion*²⁰. Proinde conclusio R. P. Philippe, quod positio supradicta Joannis a S. Thoma magis menti S. Thomae quam sententia de ente utpote unico obiecto formalis intellectus nostri appropinquatur, solido fundamento caret.

Novum ergo additamentum recensianalem a R. P. Philippe, fundatum iam non in verbis Joannis a S. Thoma approximatis conceptui Aquinatis, sed in ipsis textibus Doctoris Angelici resipientibus solum obiectum formale intellectus nostri, fas mihi est expectare, ut possim magis concretam explicationem istius novi in philosophia moderna problematis dare.

Stanislaus Adamczyk

¹⁸ Descoqs, op. cit., t. II, p. 146.

¹⁹ *De obiecto formalis intellectus nostri...*, p. 12.

²⁰ „Bulletin Thomiste“, 4 (1935) 383.